

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8511

Auteur(s) : Rotrou de Warwick, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1168, 28 juin

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

L'archevêque Rotrou de Rouen prend sous sa protection l'abbaye de Mortemer avec ses priviléges et terres, notamment la liberté donnée par le roi Henri Ier, et ses terres dans la vallée de Mortemer, Beauficel[-en-Lyons], Bosquentin, La Pommeraie, Le Roule, La Mésangère, Brémule et sa dîme, tout ce qu'elle tient des fiefs de nombreux hommes, les terres données au Mont-Rôti, les terres et les vignes données dans la vallée de Port-Mort. L'archevêque interdit d'exiger la dîme de l'abbaye de Mortemer.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 8, p. 199-203.

Texte d'après a

Confirmatio domni Rotrodi Rothomagensis archiepiscopi tempore domni G[aufridi] abbatis.
[R]otrudus Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus dilectis filiis suis Gaufrido abbatii de Mortuomari eiusque successoribus canonice substituendis et fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Sancta mater ecclesia spiritu discretionis et gratie plena obedientes quosque diligit et exaltat et quanto ferventiores in religione conspicit, tanto eos carius amplecti et honorare consuevit. Eapropter, fratres karissimi, Spiritus Sancti fervore succensi angelice vite quam in terris imitari cepistis diligenter insistite, certi quia in quantum remotiores vos fecistis a seculo, in tantum vos proximiores constituistis Deo. Verumtamen ne ab huius propositi exsecutione vestre quietis contemplatio deinceps in aliquo valeat perturbari, locum vestrum cum omnibus ad ipsum pertinentibus sub nostra et sancte Rothomagensis ecclesie protectione speciali caritate suscipimus et presentis scripti pagina communimus, statuentes ut nulli deinceps principum vel hominum de eodem loco vos sine vestro assensu liceat amovere, in quo consilio ecclesie nostre monasterium vestrum situm et gloriose memorie regis Henrici necnon et filie eius Mathildis imperatricis et filii eius regis Henrici largitione noscitur constitutum. Super terris quoque et consuetudinibus et omnimodis libertatibus que tam vobis quam animalibus vestris in bosco et plano ad omnes usus vestros necessarios infra totius foreste continentiam ab eodem magnifico principe eiusque heredibus suprascriptis sunt concesse nullus vos postmodum perturbare audeat vel aliquatenus ausu temerario prohibere. Super quibus ne qua in futurum lis vel perturbatio forte procederet aliqua speciali determinatione duximus exprimenda : vallem scilicet Mortuimaris in qua vestrum situm est monasterium, a via de Pucei usque ad terras de Lisors, sicut idem rex in castro suo de Leons ab maiorem rei confirmationem publico preconio declamari, ut nulli hominum infra predictas metas sine vestra licentia aliquod agriculture genus liceat exercere et terras cum pomeriis et ortis que sunt circa vestrum monasterium : terram quoque quam habetis in landa de

Belfuissel et terram de Bosquentin cum grangiis et domibus et omnibus pertinentiis suis ; libertates quoque et omnes quarumlibet consuetudinum immunitates quas vobis a predicto rege eiusque heredibus constat esse concessas super animalibus et quibuslibet propriis rebus et mercatibus vestris per universum regnum et ducatum et omnia loca potestatis in terra et aquis et omni portu marino, in civitatibus et castellis et vicis vobis nichilominus quantum nostra interest confirmamus. Preterea ad luminaria ecclesie omnia vasa apud quecumque fratres vestri invenire poterunt in tota foresta ; pasturas etiam et pasnagia omnesque aisantias in omnibus vobis necessarias tam edificiis agendis quam ceteris actionibus vestris per totam eandem forestam sicut vobis est regali largitione concessum ; terram quoque cum omnibus pertinentiis suis et domibus et edificiis que vobis a nobilibus viris Roberto de Dangu et Ioscelino Crispino et eorum hominibus sive quibuslibet aliis in loco qui Pomereia nominatur donata est ; terram de Mesengeria cum domibus et edificiis et omnibus pertinentiis suis ; terram quam habetis in loco qui Rollum dicitur et quicquid ibi de feodo Ioscelini Crispini et Bartholomei de Pleisseiz et Engerranni portarii de Leons et sancti Audoeni Rothomagensis et sancti Petri de Pratellis dono vel concessione ipsorum et hominum eorum cum stagno et molendino et aliis edificiis vestris ; terram etiam totam de Bremulia et decimam eiusdem quam vobis dederunt Odo de Greinvilla et Arnulfus Bendengel concessionem domni sui Willelmi comitis de Roumara et Roberti de Alisi et Nicholai de Periers et Hugonis filii eius et quicquid ibi habetis de diversorum donis apud Montemrosti cum domibus et edificiis vestris et omnibus pertinentiis ; terram etiam et vineas quas habetis in valle de Portmort ex dono Radulfi de Ruilli et ex donis aliorum cum domibus et edificiis vestris et omnibus pertinentiis. In quibus sane omnibus nullus a vobis decimationum nomine quicquam presumat exigere sed omnia vestris usibus integre reserventur sicut omnibus qui a cisterciensi monasterio profluxerunt domni et patris nostri Innocentii pape necnon et successorum eius Eugenii, Adriani et Alexandri auctoritate firmatum est et privilegiis roboratum. Statuimus ergo ut omnia que in presentiarum iuste et canonice possidetis vel in futurum quibuslibet modis rationabilibus largiente domino poteritis adipisci firma vobis et illibata permaneant nullique hominum fas sit bona vestra perturbare, minuere vel auferre vel quibuslibet molestiis fatigare. Quod si quis ulterius nefaria quod absit temeritate presumpserit indignationem Dei omnipotentis et omnium sanctorum maledictus incurrat et ab illa hereditate que fidelibus promissa est nisi resipuerit in perpetuum maneat alienus. Amen. Hec omnia vobis presenti scripto et sigilli nostri auctoritate confirmamus. Ego Gaufridus Rothomagensis ecclesie decanus subscripsi ; ego Egidius archidiaconus subscripsi ; ego Radulfus thesaurarius subscripsi ; ego Robertus archidiaconus subscripsi. Actum est hoc IIII kalendas iulii, anno ab incarnatione domini M°C°LX°VIII°.